



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Compendiosa Praxis Beneficiaria**

**Nicolarts, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Titulus IV. De Concordatis Regni Poloniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

Iorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XIII, quinto Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri anno octavo.

TITULUS IV.

De Concordatis Regni Poloniae.

DVBIVM VNICVM.

Quæ & qualia sint Concordata cum Regno Poloniae inita?

§. 1. **A** Præsenti tractatu minimè alienum existimavi, paucis delibare Concordata inter Sedem Apostolicam, & Regnum Poloniae, sub *Leone X.* Pontifice Maximo inita & à *Clemente* Papa VII. confirmata & ampliata, quæ penè in omnibus coincidunt cum Concordatis Nationis Germanicæ, eo excepto, quod idem *Clemens VII.* expressè concesserit nullas coadjutorias in quibuscumque beneficiis, etiam familiarium & commensalium Papæ, ac Cardinalium, nec non majoribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis admittendas, nisi de ipsorum Regis Ordinariorum loci, & Capitulum Ecclesiæ, in qua exiterint, consensu, sed eadem beneficia in sex mensibus Ordinariis vacantia, ad ipsorum Ordinariorum collationem & dispositionem, non obstante ullâ reservatione Apostolicâ, plenè spectare debere.

Concordata Poloniae capiunt etiam maiores dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis.

§. 2. Insuper nec hisce Concordatis unquam derogatum tenferi, aut derogari posse, nisi in supplicatione manu Pontificis

Nec his Concordatis Papa

*derogare  
potest, nisi  
cum ex-  
pressionem  
causæ de-  
rogationis.*

ficis signata, & cum expressione causæ derogationis, indivi-  
dua, specifica & absoluta ea de re fiat mentio; alioquin re-  
validationi locus sit, uti ex eorundem hinc subjuncto tenore  
clariùs potest videri.



CONCORDATA REGNI  
POLONIÆ.

CLEMENS PAPA VII.

*Exordium*



D perpetuam rei memoriam. Cùm singu-  
larem fidei constantiam & integritatem, ac  
eximium devotionis affectum, quibus cha-  
rissimus in Christo filius Noster SIGIS-  
MUNDUS Poloniæ Rex illustris, in Nostro, & Apostolicæ  
Sedis conspectu semper claruit, & continuò claret, paternâ  
meditatione revolvimus, dignum atque debitum cense-  
mus, ut quæ eius consideratione ab eadem Sede proinde  
processerint, promptâ benevolentiam Nostri muniminis  
præsidio solidemus: & ut sublato quovis ambiguitatis dis-  
pendio, in sui roboris integritate firmiter, ac per amplius  
fructuosa reddantur, Nostri officii partes favorabiliter ex-  
tendamus.

*Clemens  
Papa 7.  
Constitutio  
ad favo-  
rem Polo-  
norum.*

*Narrat  
hic Ponti-  
fex diver-  
sa Poloniæ  
Prælatiis*

*Num. I.* Dudum siquidem per fel. mem. LEO-  
NEM Papam X. Prædecessorem Nostrium acceptò, quod  
licet diversæ alternatarum literæ diversis Ordinariis in  
Regno

Regno Poloniæ à Sede prædicta emanatæ fuissent, di-<sup>concessa</sup>  
 ctusq; Prædecessor per diversas Constitutiones suas, Præ<sup>fuisse al-</sup>  
 latis & aliis personis Ecclesiasticis, ad quas dignitatum & <sup>ternativa</sup>  
 aliorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, ele-<sup>gratia pri-</sup>  
 ctio, seu quævis alia dispositio pertinebat, ut de quibulvis <sup>viligia.</sup>  
 dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis,  
 canonicatibus & præbendis, nec non aliis beneficiis Eccle-  
 siasticis, cum cura & sine cura, Sæcularibus & Regulari-  
 bus, ad eorum collationem, provisionem, præsentatio-  
 nem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem perti-  
 nentibus, quæ in certis tunc expressis mensibus vacare  
 contingeret, ac si à Sede præfata, vel Legato eius expecta-  
 tivæ gratiæ, aut super illis speciales, vel generales reserva-  
 tiones non emanassent, Ordinariâ auctoritate liberè dis-  
 ponere possent, concessisset; ac ex tunc quidquid secus  
 super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel igno-  
 ranter contingeret attentari, irritum & inane decrevisset.

II. Nihilominus nonnulli speciales vel generales referre <sup>Quibus</sup>  
 vationes, & alias gratias in dicto Regno cum derogatione <sup>et um sapi-</sup>  
 & suspensione literarum alternativarum, & Constitutio-<sup>is præu-</sup>  
 num prædictarum, & aliàs extorserant, & in dies extor-<sup>iscaretur,</sup>  
 querentebantur: quò fiebat, ut Ordinarii Collatores Res <sup>id o his</sup>  
 gni huiusmodi, qui Reipublicæ ipsius Regni Consilarii <sup>Pentifex,</sup>  
 existebant, & diversa onera sustinebant, quò minùs eorum <sup>gratias</sup>  
 Ordinariâ auctoritate super his uti, vel iuxta alternativas <sup>prædictas</sup>  
 & constitutiones prædictas, de beneficiis ad eorum dis- <sup>amplando.</sup>  
 positionem pertinentibus, personis idoneis & bene meri-  
 tis providere possent, impediabantur, in eorum & Reipu-  
 blicæ

blicæ Regni huiusmodi præiudicium, & detrimentum non modicum; dictus Prædecessor motu proprio, & ex certa scientia, nec non consideratione præfati SIGISMUNDE Regis, tam in Lateranensi Concilio novissimè celebrato, quàm aliàs, quascumque Constitutiones suas in favorem Ordinariorum editas, cum irritantibus & aliis in eis contentis decretis, & clausulis innovando, per suas literas perpetuò statuit, ordinavit & decrevit, quod nulla beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia vel Regularia, cuiuscumque qualitatibus forent, in dicto Regno consistentia, in mensibus Ordinariis collatoribus per Constitutiones alternativas, & Constitutiones prædictas concessis, pro tempore vacantia, sub quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, unionibus, expectativis, & aliis gratiis, mandatis & indultis, quocumque nomine censerentur, & quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alternativis, & Constitutionibus prædictis, nec non literis Prædecessoris huiusmodi expressè derogantes continentibus, etiam Cardinalibus, ac suis, & pro tempore existentis Romani Pontificis, etiam antiquis & descriptis familiaribus, & aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, per eundem Prædecessorem & Sedem prædictam pro tempore concessis, & concedendis minimè comprehenderentur, nec comprehendi, aut illa minimè acceptari possent seu deberent, sed dicti Ordinarii collatores de illis, dummodò dispositioni Apostolicæ generaliter reservata, & affecta non existerent, iuxta facultatem eis per alternativas, & Constitutiones

tiones.

tutiones prædictas concessam, Ordinariâ auctoritate disponere possint, perinde ac si reservationes, uniones, expectativæ, & aliæ gratiæ, mandata & indulta cum huiusmodi derogationibus nullatenus emanassent, & in posterum emanarent, ac nonnulla alia tunc expressa decrevit, prout in eisdem literis plenius continetur.

III. Cum autem sicut accepimus, à nonnullis hæsitari posset, an beneficia consistentia in Regno huiusmodi, in dictis mensibus Ordinariis collatoribus concessis, pro tempore vacantia, sub coadiutoriis, & regressibus, ac accessibus, etiam de consensu ipsorum beneficiorum possessorum pro tempore concessis, comprehensa censeantur, & comprehendi possint. Nos, ne literæ LEONIS Prædecessoris huiusmodi eisdem Ordinariis collatoribus, quoad hoc minùs utiles reddantur, sed semoto huiusmodi hæsitationis obstaculo, votivum sortiantur effectum, providere volentes, motu simili, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, nec non intuitu eiusdem SIGISMUNDI Regis, literas LEONIS Prædecessoris huiusmodi, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus & innovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus.

IV. Et ad hoc, ut beneficia prædicta in dicto Regno consistentia, etiam si Canonicatus & Præbendæ, dignitates, etiam maiores post Pontificales & principales personatus, administrationes vel officia, etiam curata, & electiva

*Et literas  
Leonis Pa-  
pæ 10 ap-  
probat.*

*Declaratq;  
per nullas  
causas so-  
ritas etiam  
in dig sta-  
tibus &*

quibusvis  
beneficiis,  
gratia al-  
ternativa  
præjudica-  
ri posse.

in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, & ex quavis causa, etiã ratione familiaritatis continuæ, comensalitatibus Nostræ, ac etiam alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus requiri deberet, generaliter reservata fuerint in sex mensibus, videlicet, *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris & Decembris*, Ordinariis per literas alternativas, aut quævis alia privilegia & indulta Apostolica, ut præfertur, concessa, & concedenda, pro tempore vacantia, sub huiusmodi coadiutoriis, coadiutorum deputationibus, ac regressibus & accessibus per Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem, ac Sedem eandem, etiam de consensu beneficiorum possessorum eorundem, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum prædictis, & quibusvis aliis clausulis & decretis, pro tempore concessis minimè comprehendi, nec comprehensa centeri, sed ipsos Ordinarios collatores de illis in eisdem *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris & Decembris* mensibus huiusmodi coadiutoriis, & regressibus, ingressibus, & accessibus non obstantibus, etiam si beneficia in Romana Curia, vel extra eam litigiosa existant, dummodò lis super illis mota, seu pendens vera & legitima introducta non fuerit, perinde ac si coadiutoriarum, regressus, ingressus & accessus huiusmodi concessi, & illa litigiosa non existerent, liberè providere, ac aliàs disponere possint.

Nisi de  
consensu  
Regis, Or.

V. Quodq; omnes & singulæ coadiutoriarum, regressus, ingressus & accessus, etiam de consensu beneficiorum possessorum

possessorum

fessorum huiusmodi, aut etiam cum derogatione LEONIS <sup>diocesis</sup>  
 Prædecessoris huiusmodi, & præsentium literarum, alter- <sup>Diocesis</sup>  
 nativarum etiam Constitutionum prædictarum pro tem- <sup>& Capitu-</sup>  
 pore concessi, nisi etiã ipsius SIGISMUNDI, & pro tempore <sup>li Ecclesia,</sup>  
 existentis Poloniae Regis, & loci Ordinarii, ac Capituli <sup>in qua be-</sup>  
 Ecclesiæ illius, in qua beneficium huiusmodi fuerit, ad id <sup>nificium</sup>  
 expressus accesserit assensus, nullius roboris vel momenti <sup>existit.</sup>  
 existant, auctoritate, & tenore præsentium extendimus,  
 & ampliamus; ac quod dicti sex menses *Februarius,*  
*Aprilis, Iunius, Augustus, October, & Decem-*  
*ber* perpetuis futuris temporibus Ordinariis collatoribus  
 Regni huiusmodi concessi, & reliqui sex menses dictæ  
 Sedi, & pro tempore existenti Romano Pontifici refer-  
 vati existant, & esse censeantur. Quodq; LEONIS Præ-  
 decessoris huiusmodi, ac præsentis literæ sub quibuscum-  
 que revocationibus generalibus & specialibus, ac Can-  
 cellariæ Apostolicæ regulis hætenus, etiam per piæ  
 mem. ADRIANUM Papam VI. similiter Prædecessorem  
 Nostrum editis, minimè comprehensæ fuerint, nec  
 sint, neque comprehensæ fuisse, aut esse ceteri, nec in  
 genere vel in specie revocari, suspendi, vel aliàs quo-  
 modolibet alterari possint, semper validæ & efficaces  
 existant, perinde ac si huiusmodi revocationes, Con-  
 stitutiones & regulæ etiam per Nos, non emanaf-  
 sent nec in posterum per Romanum Pontificem pro  
 tempore existentem, & Sedem eandem emanarent,

ac vim validi pacti & contractus, ac statuti inter Nos & eadem prædictam, ac dictos Ordinarios collatores inibi & iurati habeant: collationesq; per Nos & Romanum Pontificem in dictis mensibus Ordinariis concessis, huiusmodi pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris vel momenti existere, ac eisdem LEONIS Prædecessoris præfati, & præsentibus literis, nec non in eis contentis, per generalem, non obstantibus literis alternativarum, & indulti Ordinariis collatoribus Regni prædicti, super conferendis beneficiis Ecclesiasticis in mensibus alternatis pro tempore vacantibus concessis, aut quascumque alias speciales vel generales, etiam derogatoriarum derogatorias, ac efficaciores & insolitas clausulas pro tempore concessas nullatenus derogari posse, nec derogatum censi, nisi in supplicatione de super Nostrâ & pro tempore existentis Romani Pontificis manu signata, de singulis literis huiusmodi & illarum data, ac Pontificatus, & causa, propter quam illi derogatur, specialiter, specifica, individua, & expressa mentio facta fuerit, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur: & quoties præsentibus derogari contigerit, toties illorum revalidatio de novo & sub quacumque data per Regem & Ordinarios præfatos, & illos de quorum interesse ageretur, eligenda expediri possit.

*De rebus  
irritans.*

VI. Et sic non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Iudices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam, etiam per Nos,  
quâ

quavis auctoritate contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Mandantes summistæ pro tempore existenti sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut literas revalidationis præsentium sub data per interesse habentem, sine alia supplicatione, seu Nostra, ac Romani Pontificis pro tempore existentis licentia expediat, ad omnem interesse habentis requisitionem.

VII. Quocirca Venerabilibus Archiepiscopo Leopoliensi, & Episcopo Olomucensi, ac dilecto filio Scholastico Cracoviensi per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, præsentem literas & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ordinarium prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ præsentem literas, & in eis contenta quæcumque huiusmodi firmiter observari, ipsosq; Ordinarios collatores pacificè illis gaudere: non permittentes eos desuper per quoscumque contra earundem literarum tenorem quomodo libet molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam auctoritate Nostrâ, appellatione postpositâ, compellendo.

VIII. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: quodq; dicti Ordinarii, seu eorum aliqui de Regulis Cancellariæ Apostolicæ notitiam forsitan non habentes, seu alijs in mensibus Sedi prædictæ

Huius  
Constitu-  
tionis pu-  
blicatio  
demanda-  
tur certis  
Prælati  
Polonia.

Clausula  
derogato-  
ria.

prædictæ reservatis, videlicet *Ianuarii*, *Martii*,  
*May*, *Iulii*, *Septembris* & *Novembris*, aliquas  
 personas Ecclesiasticas ad aliqua beneficia præsentarunt,  
 seu in illis instituerunt, aut de illis providerunt, vel ea  
 commendarunt. Nec non omnibus illis, quæ præfatus  
 Prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare, con-  
 trariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel di-  
 visim à dicta Sede sit indultum, quod interdici, suspendi,  
 vel excommunicari non possint per literas Apostolicas  
 non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum  
 de indulto huiusmodi mentionem.

*Sanctio  
 pœnalis.*

IX. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pagi-  
 nam Nostræ innovationis, approbationis, decreti, exten-  
 sionis, ampliacionis & mandati infringere, vel ei ausu te-  
 merario contraire. Si quis autem hoc attentare præsum-  
 pserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum  
 Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.  
 Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Do-  
 minicæ millesimo quingentesimo vicesimo quinto.  
 Kalend. Decemb, Pontificatus Nostri anno tertio.

TITV.